

sabet abbatissa dicti Monasterii nec non sorore Maria de baro, sorore ysabella domini Gualterii, sorore Margarita de Botonto, sorore Iacoba domine philippe, sorore alixa, sorore angela de peregrina, sorore Iohanna de bonellis, sorore Maria de Marra, sorore Iohanna de Marra, sorore Maria de Vigiliis, sorore petronella, sorore Margarita de Andria, sorore Iohanna de Calabria, sorore francesca de terra ydronti, et toto Conventu ipsius Monasterii ad sonum campane ut moris est et iuris in Capitulo ipsius Monasterii Congregatis ex una parte, et Magistro Blasio de Galiberto sutore pannorum concive nostro ex altera. Dicta videlicet abbatissa Moniales et conventus dicti Monasterii consentientes prius in nos *etc.* cum scirent *etc.* in hac parte non esse, nec fore nostre iurisdictioni subiecte *etc.* causa dignitatis Ecclesiastice. Voluntarie cum tota debita et consueta iuris observantia ad hoc necessario interveniente servata ad evidentem utilitatem dicti Monasterii permutaverunt et per fustem tradiderunt et assignaverunt dicto Magistro Blasio presenti recipienti et permutanti: pro se et suis heredibus domunculam unam Terraneam dictarum Monialium et conventus sitam in pictagio Marcicani et inter hos fines videlicet a medio pariete iuxta domum heredum quondam Iohannis de Cuculo, iuxta domum dicti Magistri Blasii a duabus partibus iuxta vias publicas et si qui alii sunt confines. Ex qua permutatione dicta domina abbatissa et Moniales *etc.* recepisse et habuisse confexe fuerunt in eadem nostri presentia ab eodem Magistro Blasio presenti domum unam ipsius Magistri blasii orreatam sitam in pictagio sancte Marie et inter hos fines videlicet a medio pariete iuxta domum dotalem nicolai de laiumenta marenarii a medio castro iuxta aliam domum dicti Monasterii et conventus a media transenda iuxta domum dompni leonardi presbiteri Ecclesie Sancte Marie de Episcopio viam publicam et alios Confines. Et versa vice dictus Magister Blasius *etc.* assignavit dictis Monialibus *etc.* dictam domum suam *etc.* Quatinus a presenti in antea ambe partes *etc.* Guadium quoque sibi ipsis ad invicem ambe partes dederunt *etc.* salvo Censu Tareni unius in argento debito anno quolibet pro dicta domo magistri Blasii Regie Curie, denunciandi necessitate evictionis temporis per partes easdem alteram alteri *etc.* contra que si partes ipse vel ipsarum altera fecerint vel fecerit et predicta sibi ipsis ad invicem non adimpleverint pars que contra fecerit pene nomine solvere teneatur parti predicta servanti uncias auri quatuor et totidem pars dicti Monasterii Sancte Romane Ecclesie et pars dicti Magistri Blasii Regie Curie me predicto notario puplico *etc.* quibus penis solutis vel non solutis presens nihilominus instrumentum cum eadem adiectione penarum in suo robore semper perseveret. Et renunciaverunt ambe partes altera scilicet alteri super his omnibus et singulis expresse et ex certa earum scentia omni legum et iuri auxilio canonico et civile *etc.* et in factum legi rem Maioris pretii per quam deceptis in permutationibus ultra dimidiam iusti pretii subvenitur, beneficio restitutionis in Integrum, Constitutioni de duabus dictis edictis in concilio generali, Consuetudini Baroli qua cavetur quod pena apposita in contractu nullum de iure sortitur effectum, singulisque aliis iuribus exceptionibus *etc.* In cuius rei testimonium *etc.* Quod scripsi Ego predictus Iohannes puplicus Baroli notarius qui predictis Rogatus interfui et meo consueto et solito signo signavi. (*Segno*).

† Nicolaus Iacobi de lauretta q. s. Iudex. (*Segno*).

† Diaconus Bartholomeus Canusinus Canonicus testatur.